

CAPUT XVII.

BIBLIOTHECA AD PUBLICUM ET PRIVATUM USUM
COMPARETUR, NON AD OSTENTATIONEM.

1. Antiquissima, cujus ad nos memoria venerit, bibliotheca ea est, quam condidit apud Aegyptios rex Osymanthias, et cujus in fronte inscripta erant haec verba: *ψυχῆς ἰατρειὸν*, hoc est, medica animae officina.

Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum praebendos, primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus. Deinceps studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt. Sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, urbe ipsa praeter arcem incensa, abstulit, asportavitque in Persas. Hos porro libros universos multis post tempestatibus Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, referendos Athenas curavit.

Ingens postea numerus librorum in Aegypto a Ptolemaeis regibus vel conquisitus, vel confectus est, ad millia ferme voluminum septingenta. Sed ea omnia (aut saltem quadringenta millia, auctore Seneca) bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non sponte, neque opera consulta, sed a militibus forte auxiliariis incensa sunt.

Bibliothecam Aegyptiacam instruxerat Ptolemaeus Philadelphus, tum profanis libris, tum etiam sacris, petitis e Judaea. — Nam quum ejus aures fama Hebraeae sapientiae tetigisset; misit Eleazaro, Judaeorum summo Pontifici, dona multa, et epistolam, qua orabat, ut divinos libros ad se mittendos curaret cum idoneis hominibus, a quibus in linguam Graecam ex Hebraea verterentur. Ut regis votis ac precibus satisfaceret Eleazarus, misit selectos e singulis tribus senos viros seniores, utriusque linguae